



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 20. Propositiones a Cardinale Regi palam factæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

„ptibus in Etruria continuari posse ani-
 „madverterent, pacificationis rationem
 „libenter amplexuri essent, qua Senen-
 „sibus restituta specietenus libertate ab
 „ingratis armis, quæ pro ipsorum re-
 „publica cepissent, honestius discedere
 „possent., Hæc exposuit Cardinalis.
 Addunt Scriptorum nonnulli, factam
 præterea Regi a Cardinale spem de
 Bononia, Ancona, Paliano, Centum-
 cellis, atque ipsa Romana arce, quæ
 S. Angeli vulgo appellatur, pignoris
 loco ei tradendis.

§. XX.

*Propositiones a Cardinale Regi pa-
lam factæ.*

Hæc quidem Cardinalis Regi in pri-
 vato, quod habebat, colloquio pro-
 ponebat, postquam vero ad publicum
 ejusdem alloquium admissus fuerat,
 haud ultra de bello, vel induciis men-
 tionem ingerebat, sed potius Regi pro-
 ponebat, quod, si tumultus sedandi cura
 Pontifici relinqueretur, hic pacis con-
 ciliatorem etiam cum Regis detrimento,
 si id æquitas postularet, agere paratus
 esset. Hæc adeo libere spondebat, quia
 pro comperto habebat, quod Henrico II.
 persuasissimum esset, quod Cæsar Pa-
 pam, quem veluti atrocissimum suum
 hostem respiciebat, tanquam pacis ar-
 bitrum

Sæcul. XVI.
 A.C. 1556.

*Pallav. l. 13,
 c. 19. n. 4.
 Ex lit. Ca-
 raffe ad
 Pallianum
 Ducem ex
 Fonte-bella:
 20. Junii.*

Sæc. XVI.
A.C. 1556.

bitrum admittere recufaturus effet. Insuper Caraffa cum Rege agebat de Concilio, quod Papa se non Tridenti, sed Romæ in Palatio Lateranensi indicturum pollicebatur: Henricus itaque sibi oblata acceptans se quoque Regni sui Episcopos eo missurum spondebat; quocirca Cardinalis horum promissorum amplitudine, ac honoribus in Regis aula perceptis inflatus de prospero legationis suæ successu haud ultra dubitabat, unde cum Caroli V. Cæsaris Legato de futura pace collocutus hæc ei exposuit: „nil amplius superest, nisi ut „Imperator Dominus tuus paci accedat, „necessitas tamen petit, ut Principes „de suis bellandi rationibus Pontificem „certiorem reddant, ejusque judicio „obtemperent. „ Verum Legatus hisce verbis parum territus, gnarusque voluntatis, qua Cæsar in concordiam propensus esset, Cardinali in responsis dedit: Cæsar honestas condiciones acceptare non renuit, ut quoniam potissima belli causa censetur esse Mediolanensis Ducatus, Imperator se, suosque Successores illo privare paratus est, dummodo Rex vicissim omnes ditiones, quas Sabaudia Duci, aliisque Principibus inde læsis abstulit, restituere velit.